

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1565

Historia De Ptolemaeo rege, ad intelligentiam primi libri.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

HISTORIA DE PTOLEMAEO

rege, ad intelligentiam primi libri.

R **E** **X** *Aegypti Ptolemaeus, cognom-
mento Auletes, quia tibijs canere,
praeter dignitatem regiam, solitus es-
set, pater Ptolemaei, qui Magnum
Pompeium occidit, & Cleopatrae, notissimae fe-
minae; eiectus ab Aegyptijs propter flagitia, ma-
ximeq. ob acerbissimam intolerabilium tributo-
rum exactionem, Romam uenit consulatum ge-
rentibus P. Lentulo, & Q. Metello: queritur
iniuriam: pro sua, pro maiorum societate, ueter-
rimoque, ac perpetuo erga populum R. studio,
suppliciter orat, ut restituatur: impetrat non ma-
gno negotio, uel Pompeij gratia, regis caussam
adiuantis, eiq. non solum amicitia, Mithridati-
co bello contracta, sed etiam hospitio coniuncti;
uel, quod eius regis, quem senatus, ac populus
Romanus biennio ante socium, amicumq. appel-
lasset, iniurias ulcisci, non modo iustum, sed ex-
emplo etiam utile, speciosumq. uidebatur. Ac-
cedebant merita. nam, ut a Varrone scriptum Pli-
nius memorat, Pompeio circa Iudaeam bellum ge-
renti, octo equitum millia Ptolemaeus, nullo reip.
sumptu, praesidio miserat. His de caussis fit S.C.
referente consule P. Lentulo, ut sortiantur consu-
les, uter eum in regnum reducat. prior exiit fors
Lentuli, simul cum administratione Ciliciae. nam*
Hi-

Hispania, quae Metello Nepoti, eius collegae, ob-
tigit, longe ab Aegypto remota, cum reductione
regis Alexandrini coniungenda non fuit. huius
& S. C. & sortis in oratione in Pisonem mentio
fit his uerbis: Auderet Gabinus, si non acerri-
me fureret, quam prouinciam P. Lentulus, cum
& auctoritate senatus, & sorte haberet, inter-
posita religione deposuisset, eam sibi tum adscisce-
re, cum, etiam si religio non impediret, mos ma-
iorum tamen, & exempla, & grauissimae legum
poenae uetarent? Postea per C. Catonem, tribu-
num pl. obiecta senatui religio est, prolato e si-
byllinis uersibus oraculo, ne rex cum multitudine
reducatur; si fiat, malo publico futurum. tunc
fit alterum S. C. referente Marcellino consule;
regem cum multitudine reduci, periculosum reip.
uideri. deinde, quis sine exercitu reducat, delibe-
ratur. alij eum honorem Lentulo, quem iam an-
tea & S. C. & sortis beneficio acceperat, con-
seruabant: alij Pompeio mandandum, alij aliter
censebant. uarietas opinionum rem extraxit, Ca-
tonis uero, tribuni pl. audacia disturbauit peni-
tus, atque peruertit. nam, & ab initio tribuna-
tus, ut Fenestella docet apud Nonium, concio-
nibus assiduis inuidiam regi, ac Lentulo concita-
uit; & mox, lege etiam de abrogando Lentulo
Ciliciae imperio promulgata, animos eorum, qui
Lentulo fauebant, a minore cura ad summum ti-
morem traduxit: Pompeium uero, in senatu aspe-
re,

re, & acerbe accusatum, eo rededit, ut consilium
reducendi regis abijceret. itaque rex, desperato
senatus auxilio, cōfugit ad Gabiniū, Syriae pro-
consulem: a quo, promissis decem talentorum mil-
libus, Pompeio etiam, qui eo anno cum Crasso
consul fuit, admodum pro eo contendente, facile
impetrauit, ut restitueretur. ex quo postea Gabi-
nius maiestatis accusatus, quod prouinciae suae fi-
nibus, contra legem Corneliam de maiestate, ex-
cessisset, corruptis iudicibus absolutus est. mox ta-
men repetundis in iudicium uocatus, defenden-
te, Pompeij rogatu, Cicerone, qui priore iudi-
cio accusauerat, odio maxime prioris iudicij da-
mnatus, publicatis bonis, in exsilium abiit: quē
postea dictator Caesar restituit. Hinc illa in eum
oblique coniecta in oratione, quam habuit in se-
natu, contra collegam eius, L. Pisonem: Se ip-
sum, fasces suos, exercitum populi R. numen
interdictumq. deorum immortalium, responsa sa-
cerdotum, auctoritatem senatus, iussa populi,
nomen, ac dignitatem imperij regi Aegyptio uen-
didit: in Aegyptum uenit: signa contulit cum
Alexandrinis: cepit Alexandriam. Atque hoc
in loco foedam Appiani negligentiam dissimulare
non possum, qui Gabinium, Pompeio tertium
consule, de maiestate damnatum putat: in quo
dupliciter peccat, primum temporis, deinde cri-
minis inscientia. nam Gabinius biennio ante Pom-
peij tertium consulatum, Domitio & Appio cos.
damna-

damnatus est, non de maiestate, quo crimine, corruptis iudicibus, euasit, sed de repetundis, odio maxime iudicij de maiestate, quod corruptum esse constat. utrumque docet Dionis historia, lib. XXXIX. cui si fides abrogatur, ipse certe non refelletur Cicero, quo ego, praesertim in rebus illius aetate gestis, locupletiores testes non quaero. is in epistola XVI. ad Atticum, lib. IV. & lib. III. ad Q. fratrem, epistola IV. prorsus patrefacit *ἀνισοπνοία* Appiani. Pulsus est Ptolemaeus e regno post quattuor fere annos, quam regnare coeperat, Romamq. uenit P. Lentulo, Q. Metello cos. quod quidem e Ciceronis agraria in Rullum licet conijcere: in qua non hunc Auletem Ptolemaeum, sed alium regnare, Alexandro rege mortuo, indicat his uerbis: Eum, qui regnum illud hoc tempore teneat, genere regio non esse, uideo inter omnes conuenire. De Aulete nunquam ita loqueretur, de quo in oratione pro domo, Cuius, inquit, cum patre, auo, maioribus societas populo Romano iuncta est. Praeterea socius, & amicus populi Romani Caesare consule appellatus est. quod ipse Caesar scriptum reliquit lib. III. de bello ci. & Cicero epist. XVI. lib. II. ad Atticum idem significat. ut uideatur paullo ante regnum accepisse; quod societate statim, atque amicitia populi Romani confirmandum curauit. Quod si rex fuit ante Caesarem consulem, nec fuit consule Cicerone, ut ex
eius

eius agraria oratione ostendimus: sequitur, ut
quarto fere, aut tertio regni anno eiectus Romam
uenerit. quo anno, ut dixi iam, consulatum ge-
rebant Spinther Lentulus, & Metellus Nepos.
id quod non modo Liuius, ut ex epitome cognosci-
tur, & Dio, sed Strabo etiam, grauis auctor, si-
gnificat, cum eiectus ait esse Ptolemaeum Gabi-
nio Syriam obtinente, eiq. successisse Archela-
um, Gabinij familiarem, uxore ducta trium Pto-
lemaei filiarum maxima Berenice, quam postea
cum Archelao restitutus a Gabinio Ptolemaeus
interemit. Honor autem ille societatis, & ami-
citiae populi Romani, a Ptolemaeo, sicuti a reli-
quis quoque regibus, non mediocriter expetitus,
causam attulit, ut anno proximo ab Aegyptijs
eijceretur. emit enim societatem a Caesare con-
sule, eiusq. genero Pompeio, ut Suetonius prodi-
dit, sex prope talentorum millibus: quae sunt, num-
mo nostro, scutatorum quadragies et CCCXX mil-
lia: communi lingua, quattuor milliones, et CCCXX
millia. quam pecuniam mutuatus a feneratoribus,
& amicis, quorum e numero fuit C. Rabirius
Postumus, quem postea Cicero defendit, intole-
rabilia tributa, ut creditoribus satisfaceret, Ae-
gyptijs imposuit. ex quo, multitudine concitata,
pulsus est. Neque uero tantam pecuniam Caesa-
ri primum a Ptolemaeo datam, ut ei regnum so-
cietate, & amicitia populi R. confirmaretur, de-
inde Gabinio, ut exactus restitueretur, quisquam

mira-

mirabitur, qui ex annuis Aegypti uectigalibus quátum caperet, animaduertet capiebat enim talentorum duodena millia quingena, idest scutatorum nonagies qui sunt milliones nouem: quantú hodie uniuersi Galliarum regni, quod omnium regnorum fructuosissimum habetur, annua tributa non conficiunt. Mirum etiam, quod a Varrone traditum scripsit Plinius, hunc Ptolemaeum, Pompeio circa Iudaeam res gerente, octona millia equitum sua pecunia tolerauisse, mille conuiuas, totidem aureis pitorijs, mutantem uasa cum ferulis, saginasse.

EPISTOLAE, quas familiares uocant, scriptae sunt omnes post consulatum, ante exsilium, in exsilio, post exsilium: ante exsilium quinque, prima omnium, quae, Pompeio Magno, inscribitur; altera Q. Metelli Celeris ad Ciceronem; tertia Ciceronis ad eum; quarta ad C. Antonium; quinta ad P. Sextium; quae libro v. omnes leguntur: in exsilio, ad Terentiam uxorem quinque, lib. xiv. post exsilium reliquae omnes. Ad Lentulum lib. i. diuersis temporibus, id est toto triennio scriptae sunt: sex quidem primae, gerentibus consulatum Marcellino, & Philippo: septima, & octaua, Pompeio, & Crasso: nona, Domitio, & Appio: quod ex earum argumentis, & obseruatione cognoscitur historiae.

EPISTO-

CICERONIS EPISTOLARVM,

AD CASSIVM, ET ALIOS,

LIBER XI.

ARGVMENTVM.

Queritur tyranno occiso, tyrannidem tamen non esse sur-
blatam: Calsiumq. hortatur, ut una cum M. Bruto, eius uxo-
ris fratre, omni perturbatione temp. liberet.

Cicero s. D. C. Calsio.

INEM nullum facio, mihi crede, Cas-

si de te, & de Bruto nostro, id est de to-

ta rep. cogitandi; cuius omnis spes in vo-

bis est, & in D. Bruto: quam quidem iam ha-

beo ipse meliorem, rep. a Dólabella meo prae-

clarissime gesta. manabat enim illud malum ur-

banum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego

quidem & urbi, & otio diffiderem urbano: sed

ita compressum est, ut mihi uideamur omne iam

ad tempus, ab illo dumtaxat górdidissimo peri-

culo, tuti futuri. reliqua magna sunt, & mul-

ta, sed posita omnia sunt in uobis. quamquam

primum quidque explicemus. nam, ut adhuc

quidem actum est, non regno, sed rege liberati

uidemur. interfecto enim rege, regios omnes nú-

tus tuemur: neque uero id solum, sed etiam, quae

ipse ille, si uiueret, non faceret, ea nos, quasi co-

gitata ab illo, probamus. nec eius quidem rei si-

nem uideo. tabulae figuntur: immúnitates dantur:

pecuniae maximae describuntur: exsules reducuntur:

ep. 14. lib 9.
Phil. 1.

quod ab infima
plebe bonis ui-
ris impēdebat.

quae se factu-
rum, leuiter, &
uix significauit

haec omnia cū
faceret consul
Antonius, in
CON DICATVS

tur:

